



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Duplici conclusione difficultas resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

particulari intelligere, dici poterit, Apostolum illis verbis nos movere & excitare ad Deum ut patrem invocandum, ait enim: *Quicumque spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt*: hac autem invocatio non procedit ex certa fide, quam unusquisque fidelis habeat de sua justitia, sed vel ex certa fide, quâ credimus Deum esse patrem, qui nos vult in filios adoptare, si per nos non steterit; vel ad summum ex certitudine spei, quâ confidimus Deum jam nobis remisisse peccata, & in filios adoptasse.

Ad testimonium Augustini dicendum est, quod ille per particulam (*credimus*) intelligit, confidimus & existimamus: sæpe enim verbum illud *credere*, usurpatur pro arbitrari, atque confidere. Unde idem S. Doctor lib. 2. contra Cresconium cap. 26. eandem sententiam expressit, & loco *credimus*, posuit *confidimus*: confidentia autem multum a certitudine fidei distat, cum testimonium probabile ad eam sufficiat.

14. Objicies secundo: Ecclesia sancta non est magis certa de martyrio huius hominis, quam ipse qui illud subit, & mortem pro Christo suffert: Sed Ecclesia indubitatâ fide ascribit illum catalogo Sanctorum: Ergo & ipse Martyr fide catholicâ cognoscit, & credit se habere gratiam & sanctitatem.

15. Respondet Medina negando Majorem: quia (inquit) in canonizatione Sanctorum Ecclesia habet specialem assistentiam Spiritus Sancti, ut nunquam decipiatur. Sed argumentum non cogit ut ad hoc recurramus: nam, vel loquitur de Martyre, dum actualiter suffert passionem, & nondum mortuus est, & sic non canonizatur ab Ecclesia; vel sit fermo de Martyre jam mortuo, & tunc certò scit se habere gratiam, quia experitur fructum martyrij, tuncque solum canonizatur ab Ecclesia.

16. Objicies tertio: In Symbolo Apostolorum nobis proponitur credendus ille articulus, *remissionem peccatorum*: Ergo unusquisque credere debet suorum peccatorum remissionem, ac proinde se esse in gratia, cum peccatorum remissio non nisi per gratiam fiat.

17. Respondetur quod articulus remissionis peccatorum, qui nobis in Apostolorum Symbolo credendus proponitur, non est quod unusquisque credat peccata sibi esse remissa, ut volunt hæretici, sed quod sibi remittentur, si verè de illis poeniteat, & ad iustitiam se disponat.

18. Objicies quarto contra secundam conclusionem: quoties aliqua propositio particularis evidenter proponitur vel deducitur ut contenta sub aliqua universali de fide, veritas illius creditur certò, certitudine saltem Theologicâ: At hæc propositio, *Ego sum in gratia*, in universali est revelata in multis principiis, ex quibus evidenter deducitur: Ergo potest esse mihi certa, certitudine saltem theologicâ. Major patet: Minor probatur. Hoc est unum principium revelatū, quod scilicet qui Sacramentum Baptismi vel Poenitentiae recipit cum sufficienti dolore, consequitur peccatorum remissionem: At in particulari quis evidenter experimento potest cognoscere, se esse unum ex illis, qui cum sufficienti dolore baptizatus & absolutus est, nam de veritate Sacramenti constat; de propria etiam dispositione potest esse certus, tum quia nemo est tam stupidus, qui si attendat non possit evidenter cognoscere, quâ fide, intentione, & affectu ad Sacramentum accedat; tum etiam, quia nun-

quam posset homo securus accedere ad Sacramentum, si tam occulta esset congrua dispositio ad illud, ut eam nunquam certò cognoscere posset. Ergo &c.

Respondet concessa Majori, negando Minorem: licet enim propositiones illæ universales sint de fide, quia tamen includunt conditionem, ex vi cuius solum creditur propositio particularis contineri sub illa, idèò absolutâ fide credi non potest propositio particularis, donec certissimum & indubitabile sit, conditionem esse impletam in tali particulari; quod nunquam contra revelationem contingere potest. Nec ad hoc sufficit ingenij perspicacitas, cum mens humana sæpe fallatur, præsertim quantum ad actus internos conscientiae, ut ex D. Gregorio supra annotavimus: licet possit sufficere ad hoc quod tunc conscientia accipiat sacramenta, quia satis est in huiusmodi habere certitudinem practicam, ut infra dicemus.

ARTICULUS. II.

An homo possit habere certitudinem saltem moralem suæ gratiæ & justificationis omnino infallibilem, seu quæ omnem formidinem & dubietatem excludat.

Andreas Vega lib. 9. in Tridentinum cap. 46. docet aliquos ad certitudinem moralem suæ justitiæ, secundum viam ordinariam, ita pervenire posse, ut absque ulla formidine & temeritate, non minùs possint esse certi de sua gratia, quam certum est dari in rerum natura Romam, vel Constantinopolim. Alij verò Theologi existimant solum posse haberi ab homine iusto probabilem & conjecturalem de sua sanctitate & justitia cognitionem, quæ omnem quidem anxietatem, non tamen omnem formidinem possit excludere. Ita D. Thomas hic art. 5. & alij Theologi communiter.

§. I.

Duplici conclusione difficultas resolvitur.

Dico primò: secluso privilegio, & speciali Dei favore, non est possibilis propriæ justitiæ certitudo moralis, omnem formidinem excludens, & similis ei quâ assentimur huic propositioni, *Roma est*.

Probatur primò conclusio ex Tridentino. loco supra citato, ubi ait: *Quemlibet iustum debere formidare de sua justitia, dum seipsum, suamque infirmitatem considerat*: Sed moralis certitudo, quâ credimus Romam esse, omnem excludit formidinem: Ergo ex Tridentino nullus iustus, secluso privilegio, potest habere certitudinem moralem de sua justitia, omnino infallibilem, ac similem ei quâ credimus Romam esse.

Probatur secundò: Si quis talem haberet certitudinem, posset jurare sine temeritate se esse in gratia; sicut ego jurare possem esse Romam, quia est ita certum moraliter, ut non possit rationabiliter esse formido de opposito: Sed nullus potest sine temeritate jurare se esse in gratia, seu remissa sibi esse peccata: Ergo &c. Major patet: Minor probatur, ex facto Innocentij III. qui in cap.

Accepi-

acceptus de purgatione Canonica, reprobavit tanquam temerarium, iuramentum cuiusdam Archiepiscopi Bizuntini, qui juraverat se esse inimicum a quibusdam criminibus, de quibus infamabatur, qui praesumebat uti æquivocatione, & intelligere talia crimina esse per penitentiam expiata, & sibi à Deo remissa.

Probatur tertio: Constat viros sanctissimos de sua salute multum formidasse, cum tamen propter præclara charitatis opera, quæ toto vitæ suæ tempore exercuerant, multum de Dei gratia debuissent confidere; præsertim si istud, ut contendit Vega, secundum legem ordinariam in quibusdam contingeret: Ergo non datur, etiam in viris sanctis, talem de lege ordinariam, certitudo moralis de sua iustitia, omnem excludens formidinem. Consequentia pater. Antecedens probatur. Hilarion enim, ex Hieronymo in ejus vita; Agatho, & Stephanus, ex Climaco in scala paradisi, licet plurima in vita miracula edidissent, tamen in instanti mortis de statu animæ suæ valde dubitarunt. Unde ipse Hilarion vehementi timore tunc percussus, coactus fuit animæ suæ dicere: *Septuaginta annis servasti Domino, & mortem times? Quæ verba manifeste indicant tunc in eo intercessisse luctamentum timoris, ob rigorem iudiciorum divinorum, & spei, propter obsequium septuaginta annorum, Deo præstitum: Quare verè dixit Augustinus apud Possidium in ejus vita, Neminem, nisi nullius sceleris sibi conscius sit, permittere debere, ut ex hac vita sine penitentia sacramento discedat.*

Denique suadetur conclusio: Licet homo possit habere aliqua signa seu indicia de sua iustitia & sanctitate, ut dicemus conclusione sequenti, tamen non sunt ita certa, ut omnem formidinem possint excludere; quia interdum his similia possunt oriri ex puris naturalibus. At certitudo moralis quæ credimus Romanam esse, omnem excludit dubitationem & formidinem; quia innitur testimonio infinitæ fere multitudinis hominum, diversorum locorum, temporum, ac ætatum, qui de re visâ testificantur, & qui propter diversitatem attestantium non potuerunt convenire ad confingendum mendacium: Ergo non est possibilis, secluso privilegio, certitudo moralis propriæ iustitiæ, similis ei quæ assentimur huic propositioni, *Roma est. Dixi, secluso privilegio, nam quemadmodum privilegio potuit alicui concedi certitudo fidei de sua iustitia, sic etiam puto signis & effectibus specialibus gratiæ, atque extraordinariis Dei beneficiis, concessam fuisse certitudinem de illa, ab omni dubio alienam multis ex illustribus Sanctis, ut Martino, Benedicto, Bernardo, & alijs.*

Dico secundo: Homo iustus potest habere probabilem & conjecturalem de sua gratia & iustitia cognitionem, seu certitudinem. Ita D. Thomas hic ait: ubi postquam probavit quod gratia cognosci possit per revelationem, non per demonstrationem, quia ejus principium per quod demonstrari potest, est Deus, qui in hac vita est nobis ignotus prout scilicet est gratiæ author, subdit: Tertio modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per signa; & hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas; & in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis: secundum quem modum potest intelligi quod habetur Apocal. 2. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit nisi qui accipit, qui scilicet ille qui

Tem. 17.

accipit gratiam, per quandam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille, qui non accipit. Ubi S. Doctor allentit ad expositionem D. Bernardi in libro de Conversat. Clericorum, dicentis manna illud esse sapientiam & suavitatem Domini, quæ non eruditio, sed unctio docet: nec scientia, sed conscientia comprehendit. Alibi etiam cap. 6. assignat tria signa seu indicia; ex quibus sumitur urgentissima conjectura præsentis gratiæ in anima, nimirum devotionis affectum erga Deum, contemptum rerum temporalium, animum nihil præter Deum, aut nihil propter Deum amantem. Et scilicet 1. & 2. in festo Pasche alia tria recenset: nam ibi expendens verba illa 1. Joan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, subdit: Testimonia verò gratiæ sunt hæc tria, in operibus spiritualibus exerceri (operationes enim vitales spirituales sunt signa vitæ spiritualis, sicut corporales corporalis). Lachrymarum fonte fordes peccatorum abluisse, & sanguinolento penitentia martyrio prævari affectiones perimere. His addit S. Thomas aviditatem audiendi verbum Dei: qui enim ex Deo est, verba Dei audit, ut dicitur Joan. 8. De quo plura diximus in Tractatu de prædest. disp. 4. digressione 1. quæ est de signis redestinationis.

Potest etiam suaderi conclusio hac probabiliter ratione. Suavi divina providentiæ dispositioni congruit, ut quemadmodum non oportuit quod homo perfectam haberet suæ iustitiæ securitatem, quæ omnem halitationem amoveret, ut cum timore ac tremore nostram operaremur salutem, & semper humiles & subiecti essemus; ita conveniens fuit, ut iusti haberent quandam probabilem & conjecturalem cognitionem, seu certitudinem de sua gratia & iustitia, ne perpetuâ anxietate cruciarentur, sed inter metum & spem suæ salutis, veluti inter duos clerôs, seu terminos, extra quos in hac vita egredi non licet, ambulant.

S. II.

Salvuntur objectiones.

Obijcies primò cum Vega: Si fideles non haberent certitudinem moralem omnino infallibilem, se esse in gratia, non possent Sacerdotes sine temeritate sacramentum Eucharistiæ, & alia sacramenta vivorum eis ministrare; nec ipsi fideles ea recipere; quia possent dubitare, an essent in statu gratiæ, & per consequens an essent sufficienter dispositi ad ea recipienda. Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Respondeo negando sequelam Majoris. Ad cuius probationem dico duplex à Theologis distinguendum, unum speculativum, quando de re aliqua in se dubitamus; alterum verò practicum, quando dubitamus de ejus præxi seu exercitio, an scilicet eam exercere debeamus: inter quæ dubia illud est discriminandum, quod dubium speculativum non impedit quominus tunc possimus operari; practicum verò illud impedit, cum per illud de opere exercendo dubitemus. Hinc fit ut licet sacerdos speculative dubitet, an aliquis sit in statu gratiæ, si tamen probabilem de hoc habeat conjecturam, potest ipsi licite ministrare Eucharistiæ, & alia sacramenta vivorum, quæ gratiam in suscipiente requirunt; quia per talem probabilem conjecturam fit practice certus de bonitate talis operis. Idemque dicendum est de

R

fide.